



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

15 Libri à Sixtò V. prohibiti, qui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

tur, quod Inquisitores debeant tales ad suos iudices dimittere puniendos, *cap. accusatus, §. sanè*, & ibi gloss. *in verb. manifeste*. Archid. Joann. Andr. & Jo. Monach. *de haret. in 6.*

Pœna autem sortilegorum non hæreticalium est tam de jure civili, quam canonico arbitraria. Abb. *in c. 2. num. 4. de sortileg.* & post Gril. & alios Franc. *in prax. crimin. qu. 20. nu. 84. 89. & 94.*

Sed, quando constat, hæresim sapere, si amplius dubitetur, an hæresim sapiant, si tunc ipsi Episcopi, & inquisitores de hoc cognoscere possunt, & judicare, ac pronunciare se iudices, Abb. *in c. 1. nu. 4. in fin. de sortileg.* Carrer. *in tract. de haret. nu. 24.* gloss. & DD. *in dict. c. accusatus, §. sanè*. per Pagn. allegati *in Direct. Inquisit. com. 76. in fin.*

Et hæc distinctio, quod Inquisitores de sortilegijs non sapientibus hæresim cognoscere non possint, procedit, & habet locum de jure communi, quod fuit correctum per Sixtum V. qui suâ perpetuâ valitura constitutione Apostolica auctoritate statuit, & mandavit, ¶ ut tam contra astrologos, mathematicos, & alios quoscunque judicariæ astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam in posterum exercentes aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortunisque casibus aut rationibus, & ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare asserant, aut protestantur, quàm contra alios utriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas divinandi artes sive scientias exercent, profitentur, docent, aut discunt, quivè hujusmodi divinationes,

sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, ut præfertur, faciunt, aut in eis quomodolibet se intromittunt: cujuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquisitores hæreticæ pravitatis, ubique gentium deputati, etiam si in plerisque ex his casibus antea non procedebant, cognoscere valeant.

Prohibuitque ¶ omnes, & singulos libros, opera, & tractatus judicariæ astrologiæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, quos Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus voluit consignari, & contra scienter legentes, aut retinentes libros, seu scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter per eosdem Inquisitores procedi posse decrevit, *ut in dict. constit. sub dat. Roma anno 1585.* ubi latius de sortilegorum, incantationum, & divinationum prohibitionibus videre licet, *in pecul. suo Bullario, par. 2. fol. mibi. 52.*

Dictæ constitutionis ¶ vigore possunt Inquisitores cognoscere de sortilegijs, non tamen privativè quo ad Episcopos; imò causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, & blasphemiarum, & contra eos, apud quos reperiuntur libri prohibiti, Episcopi cognoscere, & nisi sapiant manifestè hæresim, absque Inquisitorum interventu, illas possunt decidere, definire, & terminare; per textu. *in dict. cap. accusatus, de haret.*